Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



346

133

panem legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis et habitabitis in tabernaculis septem diebus. Omnis qui de genere est israel manebit in tabernaculis ut discat posteritas vestra quod in tabernaculis habitare fecerim filios israel. cum educerem eos de terra egypti. ego dominus deus

Domine Super Michee prophetam. | vestrum deus noster pascite populum tuum in virga tua. gregem hereditatis tue habitantes seorsum in silua uxta carmelum pascentur in basan et galaad sicut dies antiquos. Videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua quo quis deus similis tui qui auferis iniquitatem et transferis iniquitatem reliquiis hereditatis tue. Non immittet ultra furorem suum. quoniam uolens est misericordiam et reuertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras et proiicet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem iacob. misericordiam abraham quemadmodum iurasti patribus nostris a diebus antiquis. domine deus noster

Factum est uerbum domini ad me dicens. Hec dicit dominus deus exercituum sicut cogitauit ut affligerem uos cum aduenisset ira mea prouocassent patres uestri et non sum misertus. sic cogitauit conuersus in diebus istis ut bene faciam hierusalem et domui iuda. Nolite timere